

nullos dies Mastrichij morantur, dum reficerentur partes devastatæ, munireturque urbs adversus hostes, si quis fieret impetus à copiis statuum.



Fortunam (seu ut Christianè loquamur) Deum magis propitium habuere Steinwicenses, qui à Comite Rennenbergensi obsessi, & non tam armis quam labore assiduo, cibariumque penuria fracti ad ordines & Aurantium miserunt, rogantes, ut sibi ab hostibus circumventis properè subveniretur: Precibus eorum Ordines & Aurantius morem gerentes copias pedestres & equestres subsidio illis misere, quæ maxima ex parte ex Anglis constabant, ductore Norritio viro impigro. Hic post varia levia certamina cum hoste conferra, ad solvendam obsidionem coegit Hispanos, cum per 4. menses durasset. *Meteoranus. Dinothus.*